

dedicata divino loca nostre provisionis opere successum parturiant optatum, eorum vigeat status et propagato fructu felicia iugiter suscipiant incrementa. | Dudum siquidem bone memorie Baldassar episcopus Tusculan. in sua obedientia, de qua partes ille erant, tunc Iohannes XXIII. nuncupatus, volens commoditati publice dilectorum filiorum . . rectoris et universitatis studii Lipczensis Merseburgensis diocesis paterna caritate | consulere, per 5 suas litteras sua irrefragabili constitutione statuit et decrevit^{a)}, quod duo cum duabus in Misnensi et duo etiam cum duabus in Nuemburgensi, nec non similiter duo cum duabus maioribus prebendis in sanctorum Petri et Pauli opidi Cyczensis Nuemburgensis diocesis ecclesiis, in quibus maiores et minores prebende fore noscuntur, canonicatus quos extunc qualitercunque tam extra Romanam curiam quam successive qualibet alia vice per cessum 10 vel decessum seu privationem aut aliam quamvis dimissionem illos pro tempore obtinentium vacare contingeret, singulis personis idoneis eiusdem studii, que tamen magistri in theologia vel doctores in iure canonico, alioquin in theologia vel iure huiusmodi licentiatii existerent, per rectorem et universitatem dicti studii existentes pro tempore nominandis, etiam si persone ipse unum, duo, tria vel plura beneficia ecclesiastica cum cura vel sine 15 cura obtinerent, auctoritate apostolica conferrentur, et de illis provideretur eisdem certis super hoc executoribus deputatis, et quas quidem litteras nos postmodum divina favente clementia ad apicem summi apostolatus assumpti in certis erroribus in aliquibus dictionibus repertis tunc expressis corrigi fecimus^{b)}, nec non volumus per alias nostras huiusmodi ipsius Baldassaris tunc Iohannis XXIII. litteras et inde secuta quecunque valere, quodque 20 executores prefati ad illarum executionem procedere possent et deberent, eisque in iudicio et extra ubicunque exhibitis tanta fides adhiberetur et eodem ipsius Baldassaris tunc Iohannis XXIII. littere propter rasuras dictionum predictarum impugnari minime valerent in omnibus et per omnia, ac si in illis nullus error commissus extitisset, prout in predictis litteris plenius continetur. Et deinde sicut exhibita nobis nuper pro parte dilecti filii 25 nobilis viri Frederici senioris lantgravii Thuringie et marchionis Misnensis petitio continebat, cum inter rectorem et universitatem predictos ex una ac dilectos filios dictarum Nuemburgensis et Cyczensis ecclesiarum prepositos, decanos et capitula occasione statuti et decreti nec non litterarum huiusmodi, prout eosdem prepositos, decanos et capitula continebat, diverse controversie et dissensionum materie ex altera partibus orte fuissent, 30 tandem rector et universitas nec non prepositi, decani et capitula predicti volentes controversiis et dissensionibus huiusmodi per amicabilem compositionem obviare pro bono pacis et concordie, super premissis ipso lantgravio in hiis amicabiliter se interponente, certam et inter alia talem acceptaverunt concordiam, quod rector et universitas prefati quam primum in qualibet ex Nuemburgensi et Cyczensi ecclesiis predictis dumtaxat unam maiorem 35 prebendam ex tunc vacaturam pro huiusmodi personis de universitate dicti studii existentibus assecuti forent, extunc illis contenti litteris predictis quoad alios canonicatum et maiorem prebendam in singulis ecclesiis eisdem vigore earundem litterarum ipsis forsitan debitis renunciare nec dictos prepositos, decanos et capitula de cetero super pluribus